


Cæteri uero Almuten huius propositæ genituræ isti fuere, Almuten substantiæ Mercurius, Fratrum Sol & Mars. Patris, Mars, Martis, Sol. Filiorum, Saturnus & Mars. Azemene siue infirmitatis inseparabilis, Sol. Seruorum, Sol. Coniugij, Mars. Mortis, Sol & Mars. Itinerum Mars & Sol. Operis & Magisterij, Mars. Regni, Sol. Amicorum, Sol & Mars. Inimicorum, Saturnus.

Omni- bus his in ordinem sic dispositis, uide tum an dominus quartæ anni natiuitatem mox præcedentis, etiam fuerit dominus siue uictor genituræ, uel loci Solis, Lunæ, partis fortunæ, Medij cœli, aut Ascendentis natiuitatis. Quoniam si sic, significat bonum uel malum notabile de natura domini illius quartæ, ac loci Hylegij, huius, cuius etiam dominus fuerit. Vide etiam diligenter an gradus loci eclipsis tunc grassantis, aut gradus coniunctionis superiorum planetarum præcedentis natiuitatem fuerit etiam gradus loci domini ascendentis Solis, Lunæ, Partis fortunæ, Medij cœli, uel Ascendentis. Quod si sic fuerit, significat accidens notabile, bonum uel malum futurum, secundum significatum Hylegij & dispositorem eclipsis uel coniunctionis magnæ.

Nota etiam diligenter gradum Coniunctionis uel Oppositionis luminarium immediate præcedentis natiuitatem, qui si ceciderit in locum fortem figuræ natiuitatis, significabit etiam accidens notabile, secundum naturam loci. Nam si ceciderit in cuspidem Medij cœli, significat in magisterio & honore excellentiam. Si in septimam, in coniugio fortunam. Si in locum ☉, significat diuiciarum affluentiam, sic etiam de alijs. Nam talis gradus habet significationem magnam in uita & corpore hominis, ideo dirigendus erit ad loca, & respectus tam fortunarum quam infortunarum &c.

Vide etiam nati patriam, siue locum eius natiuum. Nam nati in Aethiopia, con- iunue nascuntur nigri. Econtra uero in Germania, & plus in Anglia albi.

Vide etiam genus, nam de filio regis longe aliud erit iudicium, quam de Cer- donis filio. Hæc omnia præmissa, sunt fundamenta atq; radices natiuitatis.



Dicitur